

vis alterum altero sit præstantius, juxta apostolicam hanc sententiam: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit; & qui non jungit, melius facit.* Unde Augustinus, *Duo bona sunt,* inquit, *connubium & continentia, quorum alterum melius est.* (*De bono conjug. cap. 8. tom. 6. pag. 324.*) Et certè ille Matrimonium honestum esse minime negat, qui illud vocat *honorabile connubium, thorum immaculatum*: atqui Matrimonium sic vocat Apostolus. (*Heb. 13.*) Ergo, &c.

Obj. 4°. Apostolus sic pronuntiat: *Bonum est homini mulierem non tangere,* (*I. Cor. 7. 1.*) ac proindè à Matrimonio abstinere. Unde fuit istud argumentum: Malum illud est quod non facere homini bonum est: atqui bonum est homini Matrimonium non contrahere; ergo malum est Matrimonium.

Resp. Neg. maj. Ex eo quòd enim homini bonum sit aliquid non facere, non sequitur illud esse malum, quia sufficit ut oppositum sit melius. Licèt, v. g. amplissimæ divitiæ ex se malæ non sint, bonum tamen est homini eas non possidere; paupertas enim, vel saltem mediocritas, magnis opibus melior est, ipsisque anteponenda: porrò status continentiae Matrimonio melior est ac perfectior; quod fati est ut Apostolus meritò dixerit, bonum esse homini mulierem matrimonio non sibi jungere.



DISSERTATIO IV.

De proprietatibus Matrimonii.

PROPRIETATES Matrimonii duæ sunt præcipuæ, unitas scilicèt & firmitas, seu vinculi quo stringit conjuges nexus indissolubilis; de quibus hic agendum est.

CAPUT PRIMUM.

De Unitate Matrimonii.

MATRIMONII unitas in eo posita est, quòd maritus uxorem unam, & uxor maritum unum habeat. Matrimonium initum post mortem conjugis dicitur *polygamia successiva*; Matrimonium vivente conjuge factum, *polygamia est simultanea* & propriè dicta, quâ scilicèt eodem tempore unus vir plures uxores, aut femina una plures maritos habet. De utraque disputandum est.

ARTICULUS PRIMUS.

De Polygamia simultanea.

Apud omnes Theologos in confesso est, *polygamiam simultaneam* unius uxoris cum multis viris, jure naturali prohibitam esse, quia primariis Ma-

trimonii finibus adversatur: duo enim sunt, nempe prolis generatio, & congrua illius educatio: atqui utrique huic fini opponitur polygamia unius uxoris cum pluribus viris; 1^o. quidem generationi prolis, cum experientiâ comprobetur perditas mulieres quæ multis sese viris commiscent, steriles fieri & infecundas; 2^o. adversatur educationi prolis: incertum quippè redderet patrem; cuique enim viro dubium foret, utrùm proles sua esset, an alterius, ideòque nullam vel nonnisi levissimam hujus curam gereret.

Controvertitur autem de polygamia quâ vir unus plures simul uxores habet, utrùm scilicet jure naturali & divino prohibita sit. Calvinus polygamiam hanc cum utroque illo jure ita hostiliter pugnare contendit, ut sanctos Veteris Testamenti patriarchas qui plures simul uxores habuere, violati juris divini reos pronuntiet.

Ex adverso Lutherus polygamiam de quâ agitur, nec jure naturali, nec ipso Evangelio prohibitam esse opinatur, ut patet ex famosa illa consultatione quæ æternum erit Pseudo-Reformatorum dedecus. In ea Lutherus, Melancthon, Bucerus, & alii quinque earundem partium Doctores, Philippo Landgravio Hassiæ licitum esse declararunt anno 1539, ut vivente conjuge à quâ abhorrebat, aliam duceret, quorum autoritate fretus alteram sponfam accepit. Vide quæ hæc de re scripsit Illustrissimus Bossuet (*Hist. des variat. liv. 6.*). Luthero hæc in parte postea adhæserunt Anabaptistæ.

Theologi Catholici varias in partes abeunt. Ex his enim nonnulli, ut Maldonatus, Polygamiam nec jure naturali, nec Matrimonii finibus repugnare contendunt, adeò ut, seclusâ Evangelii lege quâ prohibetur, etiamnum licita foret: unde sequitur veteres Patriarchas, nec peccasse plures simul uxores ducendo, nec ullâ opus habuisse Dei dispensatione.

Alii contrà cum S. Thoma docent polygamiam non adversari quidem nuptiarum fini primario, sive liberorum procreationi: sed contendunt eam pugnare cum secundariis Matrimonii finibus, nempe cum prolis educatione congruâ & pace domesticâ, quæ inter plures ejusdem viri uxores stare non potest: unde colligunt polygamiam hanc in ea parte juri naturali adversam esse, & proindè Patriarchis necessariam fuisse dispensationem Dei quæ, vel singulis speciali revelatione innotuerit; vel quæ primis revelata, postmodum fuerit aliis sufficiens. Quâ de controversiâ fit

P R O P O S I T I O I.

Polygamia simultanea quâ vir unus plures habet uxores, juri naturali absolutè non repugnat.

Probatur 1^o. Illud juri naturali absolutè non repugnat, quod nec primarios, nec secundarios Matrimonii fines lædit: atqui polygamia de quâ agitur nec, &c. non quidem fines primarios: ii enim sunt prolis generatio ejusque congrua educatio: atqui polygamia cum utraque conciliari potest: unus enim & idem vir ex pluribus feminis potest liberos suscipere, iisque educandis rectèque instituendis sufficere, sicut & Magister quibus diversarum familiarum liberi committuntur; ergo 1^o. polygamia primariis non opponitur Matrimonii finibus; 2^o. nec secundariis, scilicet paci & tranquillitati domesticæ: nam una mulier rixosa, litigiosa, morosa, multò plures discordias excitabit, quàm duæ quarum indoles placida erit & pacis amans: licet aliquandò pacem domesticam fervare, difficile sit cum uxore una, conjugium tamen ex se licitum est, quia vitium illud uxoris est, non conjugii; ita pariter, quamvis difficile sit concordiam cum pluribus uxoribus retinere, stare nihilominus potest conjugium, spectato solo jure naturali: quòd si identidem inter eas uxores

suboriantur jurgia, vir tanquam caput & Superior pacem suâ autoritate & prudentiâ componet.

Prob. 2^o. ex Patribus. Hieronymus, *Sciebat Apostolus, inquit, lege concessum . . . in multis uxoribus liberos spargere.* (Ep. 82. ad Oceanum, tom. 4. part. 2. pag. 649.) Augustinus, *Quid criminis est, inquit, quod de pluribus uxoribus simul habitis objicitur sancto viro Jacob? Illo tempore . . . id nullâ lege prohibebatur.* (Lib. 22. contra Faustum, cap. 47. tom. 8. pag. 388.) *Plures feminas uni viro legitimus (fuisse), neque enim contra naturam nuptiarum est.* (Lib. de bono conjug. cap. 17. tom. 6. pag. 337. n. 20.) Theodoretus Abrahamum ab omni culpa excusat, quia non libidinis, sed prolis desiderio, exhortante Sarâ, Agar duxerit. *Maximè, inquit, cum neque natura, neque lex ulla tum scripta, plures ducere uxores prohiberet.* (Quæst. 67. in Genes. tom. 1. pag. 52.)

Unde conficitur istud argumentum: Quod à lege concessum est; quod contra naturam nuptiarum non est; quod neque à natura, neque ab ulla lege scripta prohibetur, illud profectò juri naturali non adversatur: atqui juxta præfatos Patres, quominùs Patriarcharum temporibus plures simul haberentur uxores, nec Matrimonii naturâ, nec jure naturâ, nec ullâ lege scriptâ prohibitum erat; ergo in ea re nihil est quod à jure naturali alienum sit.

Theologi quos impugnamus, & qui polygamiam jure naturali vetitam esse propugnant, plurimum discriminis admittunt inter primaria juri naturalis præcepta, & remotiores eorum conclusiones. Priora quidem esse immutabilia, omnemque repellere dispensationem fatentur; id verò de posterioribus negant, & circa eas dispensationem à Deo concedi posse arbitrantur. Ergo, inquit, ex eo quòd Lex Mosaica polygamiam *simultaneam* toleraverit, eâque usi fuerint veteres Patriarchæ, concludere non licet ipsam non esse legi naturali contrariam;

contrariam: id unum enim inferri potest, divinam scilicet intervenisse dispensationem, quæ hujusmodi polygamiam, ad remotiores tantum juris naturalis conclusiones pertinentem, fecerit licitam.

Quàm autem inanis sit hæc responsio patet ex Tractatu de legibus, ubi jus naturale demonstratur tum in primariis suis præceptis, tum in remotiori qualibet conclusione pariter esse immutabile.

Prob. 3^o. Quod juri naturali repugnat, ex se malum est: atqui polygamia de quâ agitur ex se mala non est; alioqui graviter peccassent veteres Patriarchæ qui plures simul uxores habuerunt: atqui illud de viris tantâ pietate conspicuis suspicari nefas est; ergo, &c.

Dixi autem in propositione, *absolutè*: polygamia enim eo sensu dici potest juri naturali minùs consentanea, quòd obstat ne finem suum in conjugis perfectè assequatur natura; tum quia difficiliorem reddit numerosæ prolis educationem; tum quia longè minùs favet paci domesticæ, cum ex ea nascantur rixæ inter conjuges, ut patet exemplis Saræ & Agar, (Genes. 21.) Liæ & Rachelis, quamvis sororum. (Ibid. 30.) Insuper à primæva Matrimonii institutione quæ sanè juri naturali erat congruentissima, deficit polygamia. Licet enim potuisset Deus plures Adamo procreare uxores, idque exigere videretur propagandi generis humani necessitas, unam tamen duntaxat ad eum adduxit.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Illud jure naturali prohibetur, quod æquitatem conjugalem lædit: atqui polygamia quâ plures uxores vir unus simul habet, æquitatem, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. Ad æquitatem conjugalem suff.
Tom. V. O

ficit ut maritus se tradat uxori, quantum satis est ad uxoris fecunditatem: atqui illud non impedit polygamia bene & sapienter instituta; ergo per eam non violatur æquitas conjugalis.

Inst. Ad æquitatem conjugalem requiritur ut vir se totum tradat feminæ, sicut femina se totam tradit viro: atqui id non facit polygamus; ergo in eo locum habere non potest æquitas conjugalis.

Resp. Dist. maj. Ad æquitatem conjugalem requiritur ut vir se totum tradat feminæ, quantum sufficit ad debitum conjugale, conc. maj. ut se tradat uni absolutè, rursus dist. si id vel lege positivâ, vel mutuo partium consensu constitutum sit, conc. secus, neg.

Itaque jure naturali debet se vir uxori tradere, quantum ad ipsius fecunditatem necesse est. Quapropter si quis tot duceret uxores, ut iis fecundandis impar foret, talis polygamia Matrimonii fini primario, & juri naturali adversaretur, quia inde nasceretur omnium penè sterilitas. Pariter si quâ lege publicâ, vel privato partium consensu sancitum sit, ne quis plures simul ducat uxores, id erit religiosè observandum, quia leges & pacta justa violare non licitum est. At, spectatis solis naturæ legibus, necessarium non est ut vir totum se dedat uni uxori, quemadmodum requiritur ut femina se totam tradat uni viro. Ratio discriminis est, quòd mulier quæ pluribus simul viris sese traderet, contra primarium Matrimonii finem qui est prolis generatio, peccaret; vir autem, etiamsi plures simul duceret uxores, primarium illum finem non offenderet, quia vir unus potest multiplicem ex diversis uxoribus prolem suscipere.

Obj. 2^o. Ea polygamia jure naturali prohibetur, quæ pugnat cum essentia Matrimonii: atqui polygamia de qua loquimur pugnat cum Matrimonii essentia; hæc enim sita est in conjunctione unius cum una; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Si enim Matrimonii essentia consisteret in conjunctione unius cum una tantum, Patriarcharum cum diversis uxoribus conjugia, non nisi ficta essent Matrimonia, ac proinde conjunctiones illicitæ, totidemque adulteria: atqui illud de patriarchis sentire nefas est, ergo Matrimonii essentia non sita est in conjunctione unius cum una tantum.

Inst. Illud ad Matrimonii essentiam pertinet, quod à prima sua institutione habuit; atqui Matrimonii, vel à prima sua institutione, sita conjunctio unius cum una; ergo illud ad ejus essentiam pertinet.

Resp. Neg. maj. Cum enim natura humana innocens esset ac integra, Deus Matrimonium, non solum quoad essentiam, sed præterea quoad meliorem & perfectiorem formam instituit; ab ea proinde forma perfecta ut recederent Patriarchæ, permittere potuit Deus, etiam illas à Matrimonii essentia. Insuper ex eo quòd Matrimonium à primordiis fuerit conjunctio unius cum una duntaxat, non sequitur illud ad ejus essentiam pertinere; quemadmodum licet homo vel à prima sua creatione id habuerit, ut esset justus & innocens, inde inferri non potest justitiam & sanctitatem ad hominis essentiam pertinere; ita ut, iis sublatis, desinat esse verus homo.

PROPOSITIO II.

Polygamia simultanea primæ Matrimonii institutioni adversatur.

Prob. 1^o. ex prima Matrimonii origine: Non plures Deus Adamo uxores obtulit, sed unam tantum, dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: (Genes. 2. v. 23. & 24.)

Atqui huic duorum in carne una conjunctione adversatur polygamia *simultanea*, ergo & primæ Matrimonii institutioni.

Prob. 2^o. ex Veteribus qui violatam à Lamech Matrimonii institutionem ea de causa dicunt, quod primus omnium duas accepisset uxores. Numerus Matrimonii, inquit Tertullianus, à maledicto viro cepit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit. (Lib. de exhort. castit. cap. 5. pag. 521.) *Vim passa institutio Dei per Lamech.* (Lib. de Monogamia, cap. 4. pag. 527.) S. Hieronymus, Primus Lamech, inquit, sanguinarius & homicida, unam carnem in duas divisit uxores. (Lib. 1. contra Jovinianum, tom. 4. part. 2. pag. 159.) Atqui his verbis exhibitur bigamia tanquam crimen divinæ institutioni ita contrarium, ut non ab alio quàm ab homine flagitioso committi potuerit.

PROPOSITIO III.

Veteres Patriarchæ ex divina dispensatione, ac proinde citra culpam, plures simul duxerunt uxores.

Prob. Ex superiori propositione constat polygamiam *simultaneam* primariâ Matrimonii institutione vetitam fuisse. Ista verò lex ad diluvium usque stetit integra, vel saltem eam non legimus in Scripturis ab alio violatam, quàm à flagitioso viro Lamech qui accepit duas uxores: (Genes. 4. v. 18. & 19.) qua in re tanquam gravissimi criminis reus à SS. Patribus exhibitur. Qui post diluvium vixerunt Patriarchæ, hanc legem ignorare non potuerunt, eamque ipforum ætate abrogatam fuisse nullo indicatur monumento. Vel igitur ex dispensatione à Deo concessâ plures simul uxores acceperunt, vel contra legem divinam peccarunt: atqui illud posterius sentire nefas sit

de tantis viris quorum insignem pietatem commendant Scripturæ; ergo, &c.

Licentiam hanc Patriarchis divinitus concessam non omnino siluerunt Patres. Sanè apud Veteres nostros, inquit Tertullianus, ipsosque Patriarchas... plurifariam Matrimonii uti fas fuit... per licentiam. (Lib. 1. ad uxorem. cap. 2. pag. 162.) Audiens, ait S. Chrysostomus, eum (Jacob) accepisse majorem natu, & postea minorem, ne turberis; neque secundum statum qui nunc est, opera quæ tunc facta sunt iudices. Tunc enim quia principia erant, permixtum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus misceri, ut humanum genus propagaretur. (Hom. 56. in Genes. n. 3. tom. 4. pag. 542.)

Dices 1^o. Nullum in sacris Litteris occurrit hujus dispensationis vestigium; ergo rejicienda est veluti fictitia.

Resp. Dist. ant. Nullum occurrit vestigium expressum, esto; implicitum, neg.

Esto hæc dispensatio in sacris Litteris expressa non inveniatur, quod multi negant; in iis saltem implicite continetur. Dum enim Scripturæ veteres Patriarchas nobis exhibent tanquam eximia sanctitatis viros, Deoque amicissimos, & illorum pietatem & fidem summis efferunt laudibus, nonne satis indicant eos contra primariam Matrimonii institutionem plurimas simul uxores non accepturos fuisse, nisi ita se gerendi licentiam divinitus accepissent? Minime tamen necesse est ad specialem pro singulis polygamis revelationem confugere: ad instituendum enim novum hunc rerum ordinem satis fuit, ut generalis Dei permixtio immediatis Noemi posteris concederetur, à quibus ad alios transmissa fuerit.

Dices 2^o. Mulieres illæ quas sibi junxerunt Patriarchæ, vocantur in Scripturis *concubinae*, earumque liberi hæredes non fuerunt, ut patet ex illa Genes. narratione: Dedit Abraham cuncta

quæ possederat Isaac; filiis autem concubinarum largitus est munera. (Cap. 25. v. 5. & 6.) Ibi cetera, præter Saram, feminae pro vilibus meretricibus habentur; ergo mulieres illæ non erant uxores legitimæ, ac proinde nullam à Deo dispensationem acceperant Patriarchæ.

Resp. Neg. conseq. Ex usu quidem jam dudum recepto, concubinæ nomen perditam mulierem sonat, quæ extra Matrimonium turpem sui copiam viro facit; sed apud Judæos veram, at secundi ordinis conjugem significabat, quæ ad procreandam tantum sobolem asumebatur. Hujusmodi conjuges uxori primariæ serviebant, earumque liberi ad paternam hæreditatem nihil habebant juris, sed nonnulla tantum munera accipiebant. Quamvis concubinæ frequenter in Scripturis appellentur, veræ nihilominus uxores erant; rem ita esse inde patet, quod Agar & Cethura quæ in objecto loco dicuntur Abrahami concubinæ, alibi ipsius uxores vocentur. *Sarai uxor Abraham tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, & dedit eam viro suo uxorem.* (Genes. 16. 3.) *Abraham aliam duxit uxorem nomine Cethuram.* (Ibid. cap. 25. 1.)

Quæres an illa dispensatio non veteres tantum Patriarchas, sed omnes etiam Judæos spectaverit.

Resp. eam ad omnes Judæos pertinuisse. Lex enim divina de unius viri cum pluribus uxoribus conjunctione non semel loquitur, diversaque circa eam tradit præcepta, & quidem sine ullo improbationis signo. Sic, v. g. statuit: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam & alteram odiosam, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ; sed filium odiosæ agnoscat primogenitum.* (Deut. 21. v. 15. 16. & 17.) Ea lex indicat communem apud Judæos fuisse plures simul uxores ducendi

consuetudinem; præscribit quid factu opus sit, cum filius odiosæ erit primogenitus: atqui tamen nulla ibi occurrit improbationis nota; ergo, &c.

Præterea nisi plures simul uxores habendi licentiam à Deo Judæi acceperant, hujusmodi conjugia Prophetæ aliquando reprehendissent, tanquam legi divinæ opposita: atqui tamen in ipsorum Scriptis nullam ea de re oburgationem reperias, quamvis in redarguendis suæ gentis criminibus essent assidui; ergo, &c.

PROPOSITIO IV.

Christus, revocato ad primam originem Matrimonio; in nova lege prohibuit ne plures simul uxores habeantur.

Prob. 1^o. ex Scriptura. Christus sic pronuntiat: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit; (Marc. 10. 11.)* quod repetit. (Matth. 19. 9.) Porro qui adulterum eum esse declarat qui, dimissâ uxore suâ, aliam ducit, multo magis pro adultero eum habet, qui uxorem suam retinens alteram sibi jungit: atqui Summus Legislator Christus adulterum esse eum declarat qui, &c. ergo, &c. Præterea Christum interrogant Pharisei *an liceat (homini) dimittere uxorem quacumque ex causa; quid respondet Christus? Non legistis, inquit, quia quæ fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* (Matth. 19. v. 3. 4. 5. 6.) Ibi Christus Matrimonium revocat ad primatiam institutionem, juxta quam duo tantum erant in carne una; ergo polygamia penitus abrogat.

Denique Apostolus sic testatur: *Mulier, . . .*

vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: (Rom. 7. 3.) atqui juxta, Apostolorum, par est in eo capite mulieris & viri conditio, cum neuter habeat sui corporis potestatem, quam totam alter in alterum per matrimonialem contractum transfudit: *Mulier, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* (I. Cor. 7. 4.) Ergo quemadmodum mulier, vivente viro, non potest sine adulterio fieri alterius uxor; ita nec vir potest, vivente conjuge, aliam ducere uxorem quin adulterium committat.

Prob. 2^o. ex Patribus. *Non licet tibi, ait S. Ambrosius, uxore vivente, aliam ducere: nam & aliam querere, cum habeas tuam, crimen est adulterii.* (Lib. 1. de Abraham, cap. 7. tom. 1. pag. 302.) S. Hieronymus asserit virum non posse adulteram uxorem dimittere, nisi eam conditione ut secundam, primam vivente, non habeat. (In cap. 19. Matth. tom. 4. part. 1. pag. 87.) S. Augustinus: *In Ecclesia Christi, inquit, sterilem conjugem relinquere, ut alia secunda ducatur, nefas est; quod si quisquam fecerit, . . . lege Evangelii reus est adulterii.* (Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 10. tom. 10. pag. 286.)

Merito igitur Concilium Tridentinum ita pronuntiat: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores & hoc nullam lege divinam esse prohibitum, anathema sit.* (Sess. 24. de Matrim. can. 2.)

Obj. 1^o. Valentinianus senior, licet Imperator Christianus, legem tulit, ut unicuique volenti liceret duas habere uxores legitimas, eamque in singulis civitatibus divulgavit. Ita refert Socrates (lib. 4. Histor. cap. 31. pag. 250.), & post eum Zonaras & Nicephorus. Quam legem suo firmavit exemplo, dum vivente Severa priori uxore sua, alterum cum Justina Matrimonium contraxit. Ea tamen de re filuerunt illius temporis Episcopi:

numquid verò tacuissent, si polygamia legi Evangelicæ adversaretur?

Resp. 1^o. Etiam si constaret hujus edicti veritas, non idem licitum esset plures simul uxores ducere, cum illud prohibeat divina lex, quam irritam facere nequeunt leges humanae.

Resp. 2^o. in eo capite, ut in aliis plurimis errasse Socratem, tum quia de prædicta lege omnino silent Sozomenus, Theodoretus, Zozimus, & Ammianus ipse qui Valentiniani gesta fuisse commemorat; tum quia constat Justinam ab illo Principe non ductam fuisse, nisi post mortem Severæ; tum quia id potissimum in Valentiniano laudarunt Ethnici, & maxime Ammianus, quod omni pudicitiae cultu domi castus & foris esset. (Lib. 30.) An verò ista laude ornaret Principem Christianum qui duas uxores simul habuisset, quod legibus etiam Romanis vetitum erat? Denique plurimi Imperatoris exemplo & oblati sibi licentia incitari, duas simul uxores arripissent: id tamen non contigisse satis probat sanctissimorum illius temporis Præfulum silentium, qui adversus tantam corruptelam profecto reclamassent. Ex his omnibus merito colligitur cum Henrico de Valois in istum Socratis locum, falsam esse ejusdem Historici in ea parte narrationem.

Obj. 2^o. Gregorius II, Pontifex Maximus, ad Bonifacium à quo consultus fuerat ita rescribit: *Proposuit si mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat jugalis. Bonum esset si sic permaneret, ut absterilitate vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui non se poterit continere, nubat magis; non tamen subfidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas præpedi, non detestabilis culpa excludit.* (Epist. 14. ad Bonifacium, tom. 6. Concil. pag. 1448.) Permisit ergo Romanus ille Pontifex, ut maritus de quo consultus fuerat, vivente primâ uxore sua, alteram duceret; non existimavit proinde

polygamiam *simultaneam* à lege Evangelica prohiberi.

Resp. hæc Gregorii verba intelligi posse de infirmitate naturali, non autem adventitiâ, quæ nuptias præcesserit & feminam conjugali officio inhabilem fecerit. Hujusmodi verò impotentiam esse Matrimonii impedimentum dirimens apud omnes constat. Hæc igitur femina verè non erat illius viri uxor, cui alteram ducere permittit Romanus Pontifex. Cùm benigniorem hunc sensum admittat Gregorii rescriptum, ut illud ita interpretemur postulant æquitas & reverentia summo Pontifici debita. Illi enim injuriosus esset, qui eum à perspicua suæ sedis & Ecclesiæ doctrina recessisse crederet, dum alium sensum ipsius verba patiuntur.

ARTICULUS II.

De Polygamia successiva, sive secundis nuptiis.

Cetera, post primum, Matrimonia damnârunt Montanistæ. *Secundas nuptias*, inquit Augustinus, *pro fornicationibus habent.* (*Lib. de Hæres. cap. 26. tom. 8. pag. 10.*) Eadem fuit Tertulliani jam Montanistæ doctrina: *Unum*, ait, *Matrimonium novimus, sicut unum Deum.* (*Lib. de Monogamia, cap. 1.*) Eundem Novatianis errorem tribuit Theodoretus: *Eos*, inquit, *qui secundum Matrimonium iniissent, à sacris mysteriis credebant.* (*Lib. 3. hæreticar. fabular. cap. 3. tom. 4. pag. 229.*)

PROPOSITIO.

Polygamia successiva licita est.

Prob. 1^o. ex eo quòd hujusmodi polygamia nullâ lege prohibeatur. Lex quippè est triplex, naturalis, divina & humana: atqui ex illis legibus nulla est quæ secundas nuptias prohibeat. 1^o. Quidem non lex naturalis. Mulier enim quæ à lege viri soluta est, sui que corporis potestatem habet, potest, illæso jure naturali, alterum contrahere Matrimonium: atqui mulier post viri sui mortem, ab illius lege libera est, sui que corporis domina. Nihil autem in secundis nuptiis occurrit, quod primario Matrimonii fini repugnet, nempe sobolis procreationi, ut satis patet; ergo 1^o. polygamia *successiva* jure naturali non vetita est.

2^o. Nec jure divino: quod enim Apostolus licitum declarat, id jure divino non prohibetur: atqui Apostolus variis in locis licitam declarat polygamiam *successivam*: *Mulier*, inquit, *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quòd si dormierit vir ejus liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino.* (*1. Cor. 7. 39.*) *Solutus es ab uxore? noli querere uxorem; si autem acceperis uxorem, non peccasti.* (*Ibid. v. 27 & 28.*) Atqui profectò licitum declaratur quod sine peccato fieri posse asseritur; ergo, &c.

Denique de junioribus viduis quæ continentie donum nec acceperunt, sic habet: *Volo ergo juniores (viduas) nubere, filios procreare, matres familias esse.* (*1. Tim. 5. 14.*) Numquid autem rem illicitam suaderet Apostolus? ergo 2^o. polygamia *successiva* jure divino non interdicta est.

3^o. Nec lege humanâ: ea quippè vel civilis est, vel ecclesiastica: atqui neutra polygamiam *successivam* prohibet; non quidem lex civilis, cùm notum sit omnibus secundas nuptias, consentiente & approbante potestate civili, frequentissimè con-

trahi: non etiam lex ecclesiastica, tum quia repetita conjugia per suos Ministros celebrare conuevit Ecclesia; tum quia doctrinam secundas nuptias tanquam illicitas rejicientem damnauit, ut catholico dogmati contrariam: nam Concilium generale Nicænum I Novatianos ad Ecclesiam redeuntes eâ lege recipit, ut scripto profiteantur quod Catholicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, & sequantur, id est, bigamis se communicent. (Tom. 2. Concil. pag. 41.) Ergo 3^o. nec lege ecclesiasticâ, nec civili verita est polygamia *successiva*; aliunde neque divinâ, neque naturali; ergo, &c.

Prob. 2^o. ex Patribus: S. Chrysostomus in ista Apostoli verba, *mulier alligata est legi*, &c. sic notat: *Summæ arrogantia ac furoris fuerit, quas non castigavit Paulus, sed quibus pepercit, eas (viduas) à nobis acerbè condemnari, si voluerint secundò nubere, quæ extra culpam sunt.* (Tom. 1. pag. 350. nov. edit.)

S. Epiphanius: *Cui mortua una non sufficit, . . . is si alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupsit, sacrarum Litterarum autoritas ab omni culpa illos absolvit.* (Heres. 59. t. 1. lib. 2. p. 497.)

S. Augustinus: *Quid sibi vult, quod Abraham post mortem Saræ, Cethuram duxerit uxorem? . . . hoc provisum est contra futuros secundarum nuptiarum adversarios, ut in ipso patre multarum gentium postobitum conjugis iterum conjugari demonstraretur non esse peccatum.* (Lib. 16. de civit. Dei, cap 34. tom. 7. pag. 445.)

S. Fulgentius: *Firmissimè tene & nullatenus dubites, nec solas primas nuptias à Deo institutas; sed etiam secundas & tertias, pro eorum qui se continere non possunt infirmitate concessas.* (De fide ad Petrum, cap. 42. num. 83.)

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Concilium Neocæsariense an. 314. sic

jubet: *De his qui sæpius nubunt, tempus . . . penitentia quod his constitutum est, observabunt.* (tom. 1. Concil. pag. 1487.) S. Basilius agens de penitentia quam Patres, iis imposuere, qui iterata Matrimonia contrahebant, sic refert: *desiniere Patres . . . annum (penitentia publicæ) in digamis, alii verò duos annos, trigamos autem tribus & sæpe quatuor annis segregant . . . jam verò consuetudine accepimus in trigamis quinquennii segregationem.* (Epist. 188. tom. 3. pag. 271.)

Unde sequitur istud argumentum: Qui bigamos penitentia publicæ subjiciunt, ii secundas nuptias existimant divina legi contrarias: atqui Patres Neocæsarienses & alii bigamos penitentia publicæ subjiciunt; ergo, &c.

Resp. dist. maj. Qui bigamos penitentia subjiciunt, propter ipsas nuptias in se spectatas, quasi eas repetere malum sit, eas existimant divina legi contrarias, conc. maj. qui bigamos penitentia subjiciunt propter gravem incontinentis animi & libidinis suspicionem, secundas nuptias existimant, &c. neg. maj. dist. parit. min.

Porro aliud est denuò nubentem penitentia subjicere, & aliud secundas nuptias quasi divina legi contrarias, & ratione sui malas damnare. Cum iterata nuptia incontinentis animi suspicionem præ se ferant, eoque graviolem, quò sæpius repetuntur, haud immeritò judicantur Patres Neocæsarienses & alii nimiam libidinis flammam penitentia laboribus vel restringendam, vel temperendam esse: at non idèò secundas nuptias in se spectatas tanquam malas divinaque legi repugnantes culpavere.

1^o. Quia si persuasum habuissent iteratas nuptias ex se malas esse, divinoque jure veritas, eas prohibere expresso Canone debuissent, nec vetarentur, sed irritas nullaque decernerent. Numquid enim verisimile est sanctos Præfules adulterina conjugia, divinaque legi contraria patienter tolera-

turos? Atqui nec Patres Neocæsarienses, nec alii suis Canonibus irrita declararunt hujusmodi conjugia; sed pœnitentiam tantùm denuò nubentibus imposuere.

2º. Quia Laodicense Concilium paulo post Neocæsariense in Phrygia pariter celebratum de bigamis ita decernit Canone primo: *De his qui secundum ecclesiasticam regulam liberè ac legitime secundis nuptiis juncti sunt, oportet ut, parvo tempore transacto, vocent orationibus & jejuniis.* (Tom. I. Concil. pag. 1509.) Itaque hæc Synodus jubet quidem bigamos orationibus & jejuniis vacare; at eos simul agnoscit legitime secundis nuptiis junctos: atqui profectò legitima non esset hæc conjunctio, si divinâ lege prohiberetur; ergo bigami non ideo pœnitentiæ publicæ subjecti sunt quòd secundæ nuptiæ, imò & posteriores, jure divino vetitæ existimarentur; sed quia impotentis libidinis suspensionem injiciebant.

Obj. 2º. nonnullos Patres qui secundas nuptias durius insectati sunt: Athenagoras eas vocat *deorum adulterium*. (legat. pro Christianis. n. 33.) S. Clemens Alexandrinus easdem videtur eum fornicatione confundere: *Fornicatio est ab uno Matrimonio ad plura prolapsio.* (Lib. 3. stromatum n. 12. tom. I. pag. 551. Edit. Oxon.) Juxta Origenem è Regno Dei excludunt: *secundæ & terciæ & quartæ nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur, & non ignoramus quod tale conjugium ejiciet nos de Regno Dei.* (Homil. 17. in Luc. tom. 3. pag. 953.) S. Gregorius Nazianzenus de iis acerbitus etiam loquitur: *Primum (conjugium) lex est, secundum venia & indulgentia, tertium iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, peccatus planè est.* (Orat. 37. n. 8. tom. I. pag. 650. edit. Benedic.)

Judice S. Basilio, non vera sunt Matrimonia: *Id autem (bigamiam & trigamiam) non amplius conjugium, sed polygamiam appellant (Patres).* 27

Iti qui digamia mensurâ exciderunt, digni non sunt qui mariti vel uxoris nomine appellentur. (Epist. 188. Canonic. I. can. 4. pag. 271. tom. 3. edit. Benedic.) S. Hieronymus repetita conjugia non miribus tractat: *Quæ duos viros habuit, Ecclesiæ stipēs non meretur accipere; si autem panis illi tollitur eleemosynæ, quanto magis ille panis qui de Cælo descendit, quem qui indignè comederit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi?* (Lib. I. adversus Jovinianum, tom. 4. part. 2. pag. 159.) Quinimò viduam quæ secundas contrahit nuptias à publicis meretricibus in eo tantùm differre ait, quod *uni sit prostituta non pluribus.* (Epist. 91. ad Geruntiam, ibid. pag. 741.)

Resp. ad primum: Athenagoræ locus intelligi potest de conjugis post divortium, non verò post alterutius conjugis mortem, contractis. Eam esse ipsius mentem indicare videntur, quæ allegat Christi verba, *quicumque dimiserit, &c. ut probet secundas nuptias esse adulterium Matrimonii velamine obtectum.*

Resp. ad secundum, secundas nuptias à Clemente Alexandrino fornicationem propriè & ratione sui non appellari, sed metaphoricè & propter effusam animi incontinentiam, quâ plerique ad repetita conjugia rapiuntur. Hanc enim comparisonem adhibet: *Quemadmodum avaritia dicitur fornicatio, ita & fornicatio est ab uno Matrimonio ad plura prolapsio.* Sicut igitur avaritia non est fornicatio propriè dicta, ita nec secundæ nuptiæ. Eas verò in se non damnari, constat ex istis ejusdem libri verbis: *Si cui Apostolus propter intemperantiam, veniam secundi conceit Matrimonii, hoc etiam concedit Dominus; nam hic quoque non peccat, ... non est enim à lege prohibitus.* (ibid. pag. 548.)

Resp. ad tertium Bigamos è Regno Dei ejiciendos non dicit Origines, quasi eos à salute exclusos velit; sed illo sensu quòd tantum gloriæ & felicitatis gradum non assecuti sunt, quantum ii qui puri-

tatis studio secundas nuptias refugerint. Ibidem enim ait bigamos esse de his qui . . . *salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur.* Sic etiam alibi mentem suam aperit: *Dici potest præclarius quidem cum illa actum futurum fuisse, si castitatem servasset, secundis nuptiis non se implicuisset, & novisset salutis alicujus eam etiam quæ bis nubit, non tamen tantæ beatitudinis, quantæ illa quæ, cum posset bis nubere, puritati studet, participem esse.* (Homil. 19. in Jerem. n. 4. tom. 3. pag. 267.)

Resp. ad quartum: Tertias, quartas & posteriores nuptias S. Gregorius Nazianzenus *iniquitatem* vocat, & qui eas contrahit *porcinum* appellat, quia in iis vehementior sese prodit intemperantia, & porcina quædam libido. Eas verò ratione sui spectatas non damnat. Quoad enim internam substantiam eadem sunt ac secundæ nuptiæ: atqui S. Præsul secundas nuptias ex se illicitas non putat, siquidem eas adversus Novatianum sic vindicat: *Anne juvenibus quidem viduis propter ætatis lubricum, ineundi Matrimonii potestatem facis? At paulus hoc facere minimè dubitavit; . . . verum, inquis, hæc minimè post Baptismum.* Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes: quòd si res dubia est, vincat humanitas & facilitas. (Orat. 39. n. 18. 19. tom. I. pag. 690. edit. Benedic.)

Resp. eodem modo ad quintum: Tertiarum nuptiarum quoad substantiam eadem sunt ac secundæ nuptiæ, neque ab istis differunt, nisi ratione affectus nubentium qui in conjugio toties iteratis majorem incontinentis animi suspensionem præbent: atqui licitas esse secundas nuptias docet S. Basilus: *Quæ in viduitate, inquit, potestatem sui habet; cum viro cohabitare potest sine reprehensione, . . . cum Apostolus dicat: si mortuus sit maritus, libera est, ut nubat cui velit.* (Epist. 99. Canonic. 2. ad Amphiloach. can. 41. tom. 3. pag. 296.) Ergo patet

tertiarum nuptiarum S. Doctor non reprehendit tanquam ratione sui & quoad substantiam malas ac illicitas, sed tantum propter effusorem, cujus argumenta sunt, libidinem. Præterea si tertiarum nuptiarum verum non essent conjugium, non satis fuisset trigamos poenitentiarum subicere, sed eorum Matrimonia debuissent irrita declarari, & conjuges à se invicem divelli: quod tamen neque à S. Basilio, neque ab aliis Patribus unquam factum legimus.

Resp. ad sextum: 1°. Juxta S. Hieronymi mentem hominem non fieri Eucharistiâ indignum ob iteratas præcisè nuptias, sed propter effrenem intemperantiam quæ ad eas impellere solet; 2°. eundem Doctorem *prostitutæ* nomen latiori & improprio tantum sensu usurpare, pro muliere scilicet quæ incontinentis animi vitio ad repetita conjugia, quamvis ex se licita, rapitur: mentem enim suam circa secundas & posteriores nuptias sic declarat: *Ego nunc liberâ voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto & sexto, & ultra. . . marito nubere; . . . non damno digamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos. Habeat, cui libet, octavum maritum & esse desinat prostituta.* (Epist. 3. ad Pamphiliam, tom. 4. part. 2. pag. 241.) Ergo reipsâ non prostituta est quæ plures successivè maritos habuit.

Quæres an viduæ statim à mariti sui morte liceat ad novas convolare nuptias.

Resp. legibus Romanis vetitum fuisse ne viduæ denudò nubere, nisi decem post maritorum obitum mensibus, quod tempus ad annum usque integrum prolatum fuit ab Imperatoribus Gratiano, Valentiniano & Theodosio. (Lib. 3. Cod. Theodof. tit. 8. leg. 1.) Hanc legem renovavit Justinianus. (Novell. 21. cap. 22.) Quæ edictum illud infringebat vidua, in infamiae notam incurrebat, jure suis natalibus annexo excidebat, & quidquid boni ei reliquerat maritus amittebat.

Hujus feveritatis triplex fuit causa; 1^o. quia viduæ ad nova citius properantes conjugia, fidem suis viris datam parùm revereri, eorumque mortem non satis dolere videntur; 2^o. quia id alienum censebatur à caritate liberis ex priori connubio susceptis debitâ; 3^o. *propter turbationem sanguinis.* (*lib. 3. digest. tit. 2. leg. 2. §. 1.*) Periculum enim esset ne vidua novas celeritùs nuptias contrahens, posteriori marito daret hæredem qui ad priorem virum pertineret; vel ne filium posthumum genuini patris hæreditate exneret.

In Gallia jus canonicum sequimur, quo viduis denud nubere permittitur, etiã nondùm expleto luctûs tempore. Quædam enim sunt circumstantiæ, in quibus urget nubendi necessitas, quando, v. g. vidua possit conjugis obitum negotiis implicatur, ex quibus sine mariti subsidio sese extricare non potest. Verùm inter viri mortem & Matrimonium cum altero, idoneum temporis spatium intercedat oportet, ut constare possit viduam ex prioris mariti factio non esse prægnantem. Parochos monet Rituale Sueffionense, ut viduas ad nova non admittant conjugia, nisi postquã sat temporis effluxerit, ut comperum habeatur eas non esse gravidas: Rituale Autissiodorense sex menses constituit.

CAPUT II.

De Matrimonii firmitate.

DE Matrimonii firmitate jure divino sancitã sic differit Concilium Tridentinum: *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de*

carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una *Ejusdem nexûs firmitatem ab Adamo tantò antè pronuntiatam, his verbis confirmavit Christus Dominus: Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.* (*Seff. 24. in præmio de Matrim.*)

Ut faciliùs intelligantur quæ postea dicturi sumus, observandum est Matrimonii dissolutionem, aliam dici *propriam* quã conjuges priori libertati ita restituantur, ut alias possint nuptias contrahere, eamque vocari *dissolutionem quoad vinculum*; aliam verò *impropiam*, sive divortium, quã scilicet conjuges vel à reddendi debiti obligatione sunt immunes, & appellatur *dissolutio quoad thorum*; vel à necessitate simul habitandi eximuntur, & tunc nuncupatur *dissolutio quoad habitationem*.

Quinque hic occurrunt excutienda; primum an Judæorum Matrimonia per libellum repudiî verè proprièque solverentur; secundum utrùm conjugia infidelium dissolvi aliquandò possint; tertium an Christianorum Matrimonia per adulterium; quartum an per Religiosam professionem dirimantur; quintum utrùm & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & habitationem solvi possit.

ARTICULUS I.

An Judæorum Matrimonia per libellum repudiî propriè & quoad vinculum conjugale solverentur.

Judæis permissum fuisse uxores suas repudiare constat ex istis Deuteronomii verbis: *Si acceperit homo uxorem, ... & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam sæditatem, scribet libellum repudiî, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* (*cap. 24. v. 1.*) Hunc libellum